





Q. D. B. V. 1720-5  
DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>O</sup> JURIDICA  
DE  
SUMMIS AC SUB.  
ALTERNIS IMPERII  
ROMANO - GERMANICI  
JUDICIIS ET EORUM CON-  
CURRENTIA,

QVAM

DIVINA FAVENTE GRATIA,  
Sub PRÆSIDIO  
VIRI Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi  
atque Excellentissimi,

(3)  
DN. JOHANNIS GEORGII  
SCHERZII,

J. U. D. & Professoris Publici Celeberrimi,  
Cap. Thom. Canonici Meritissimi, h.t. Fac. Jurid.  
DECANI Spectabilis,  
DN. Patroni, Fautoris atque Praeceptoris sui Summi  
d. Mens. Octobr. hor. Iq. conf.  
SOLENNITER defendet  
LEONHARDUS BECK, Ravenspurg:  
AUCT. & RESPOND.

ARGENTINÆ,  
LITERIS JOHANNIS PASTORIL.  
ANNO M DCC XX.

*PER-ILLUSTRI atque  
GENEROSSISSIMO  
DOMINO  
JOH. ADAMO  
DE GEMMINGEN,  
L. B. ab HOCHBERG,  
HOCHDORFF, RAPPENAU,  
NECKARZIMMERN, HOMBERG,  
BUTTENHAUSEN,  
&c. &c.*

*Antiquissimæ Familiaæ Gemmingiorum  
Decori & Ornamento Præcipuo,  
DOMINO SUO GRATIOSO,  
Humanitate & Clementia in studia liberalia  
apprime conspicuo,  
HAS PAGINAS ACADEMICAS,  
In signum debitæ venerationis & sui commendationem,*

*Dedicat atque offert.*

*PER-ILLUSTRIS GENEROSITATIS SUÆ*

*Devotissimus Cultor  
LEONHARDUS BECK, Ravensburg.*



EVR. GR.

CAPUT I.

DE  
SACRATISSIMA IMPERA-  
TORIS JURISDICTIONE.



Uprema in Imperio nostro Sa-  
cro Rom. Germ. jurisdic-  
tione gloriosissimos Imperatores  
nunquam non gavisos fuisse,  
vix dubitaverit, qui vel mo-  
dice in historia est versat-  
us. Aspiciamus modo illu-  
stria Caroli illius M. ejusdemque in hac stirpe  
succesorum exempla, qui qualemcumque antea  
Regum, suadendi auctoritate potius, quam ju-  
bendi potestate gaudentium dignitatem, ad sum-  
mum ita fastigium evexerunt, ut, licet publica  
dein negotia Episcoporum, Abbatum, Ducum  
item atqui Comitum consensu tractarentur, eorum  
tamen auctoritas non nisi consiliaria fuerit, adeo-  
que Carolingorum potestatem vere Majestati-  
cam, nec in eosdem & Proceres divisam fuisse,

A 2

nihil

nihil sit, quod dubitare nos sinat. Neque tamen in eodem semper Statu permanit Imperatoria haec, de qua modo diximus, auctoritas; sed paulatim extinta Caroli familia, in pristinam sese libertatem vindicarunt Ordines, adeo, ut tandem nonnisi certis conditionibus in Imperatores, juramento ad eas observandas adstrictos, transferri coepit imperium; ex quibus adhucdum Romani Imperatoris metienda venit potestas, ita ut quod Capitulationibus specialiter non ademtum, illi superesse videatur. Cum itaque Imperator noster nullibi à jurisdictione exclusus sit, ut potius eam Capitulationibus juste exercere jubeatur, nullo negotio, firmiter eandem ei hodienum competere, concluditur.

## CAPUT II.

DE  
JUDICIO AULICO

**S**ummum atque Augustissimum hocce Judicium Aulicum, Germ. Reichs-Hoff-Rath/ (cum quo, ne confundatur, prospiciendum est, Consilium, quod appellatur secretius der Geheime Rath/) antiquissimam quidem, incertam vero, ut multa alia, originem habet. Leges eminentissimo huic judicio sunt vel propriæ, vel aliis quoque judicis communes. Proprias leges constituant Ordinationes, quarum tres aspexere lucem. Primam quidem à Ferdinandō I. An. 1559. Augustæ Vindelicor. promulgatam, à Rudolpho II. auctam exhibet Lebmannus Lib. I. der Reichs-Handlungen vom

vom Religions-Frieden. Secunda auctorem agnoscit Matthiam, cum Statibus An. 1614. ab Electore Moguntino communicata. Tertia est Ferdinandi III. quæ quo prioribus recentior, eo & præstantior. Cum enim antea nullius unquam certi Assessorum numeri sit mentio facta, ista incertitudo sublata est à nostro Ferdinando, octodecim Assessores, partim ex Principum, Comitum & Baronum ordine, confidentes auff der Graffen Band/ partim ex orbe literato gradibus insignitos, aut saltem eximia eruditione gaudentes Viros, locum occupantes auff der Gelehrten Band/ feligente, addita insuper eleganti circa paritatem diversæ Religionis Assessorum dispositione, quæ ut in praxin strictè ducatur, optandum. Communes Illustrissimo huic cum aliis judiciis leges sunt quoad principia judicandi & quoad principia procedendi, Receffus Imperij, Pax Profana & Religiosa, Capitulationes, Aurea Bulla, Statuum ac Territoriorum leges, statuta, hisque deficientibus Jura Cæfarea ac Pontificia, juncto Imperatoris pariter ac Statuum consensu, recepta. Immo *Infr. Pac. Art. 5. §. quo ad processum*, de hoc Aulico judicio statuitur, quod quoad processum judiciarium Ordinatio Camera Imperialis in eo per omnia sit observanda. Ne partes litigantes omni remedio suspensivo destituantur, loco revisionis in Camera usitate licitum sit parti gravatae à sententia in hoc judicio lata ad Cæfaream Majestatem supplicare, vel acta judicialia exhibitis pro ratione negotij ex utraque Religione pari numero Consiliariis, qui concipienda & ferenda priori sententia non interfuerunt, vel referentium & correferentium partes non

*Sustinuerunt, revideantur.* Consueverunt quidem antehac majoris momenti causæ, quando ad conclusionem deventum erat, cum voto mit einem *Gatachten* referri ad Cæsarem, in consilio secretiori postea illas proponentem, eum in finem, ut ad rationis status trutinam examinarentur, videlicet; An sine magno Imperij motu, aut alio Cæsaris vel domus Austriaca præjudicio, sententia ejusmodi executioni mandari possit, & deprehensia difficultate executio sententiae suspendatur atque in aliam commodiorem occasionem reservetur; Caverunt vero in monitis An. 1638. Electores ne id amplius fieret, daß was ein Reichs-Hoffrath cum debita causæ cognitione geschlossen im geheimen Rath ohne vorhergehende communication mit dem Reichs-Hoffrath nicht solle geändert werden. vid. *Limnaeus T. I. add. ad L. 9. c. 4.* Surrogatum hujus in locum videtur Instrumento Pacis consilium Principum Art. V. §. 20. *Quoad processum, liberum sit sic Majestati in causis majoribus & unde tumultus in Imperio timeri possent, insuper etiam quorundam utriusque Religionis Electorum & Principum sententias & vota perquirere.* Subjungendum ultimo loco, non exiguum inter DD. de hujus Jurisdictionis qualitate, an ordinaria an vero delegata sit? agitari controversiam, originem præprimis debentem varia istarum vocum Politicis & JCTis acceptioni: Hisce namq; Ordinaria est, quam quis suo vel Magistratus jure, Delegata vero, quam alie- no beneficio habet, l. 5 ff. de *Jurisdictione*. Cum contra Philosophis etiam illa, quae à summa Potesta- te est profecta, & ita Judicij Aulici Jurisdic-  
tio De-  
legata

legata audiat. Juridico itaque sensu, (non obstante etiam, quæ mortuo Cæsare fieri solet à Registratore consueta auctorum obsignatione, quam de Judicij stilo, & ita merum accidens esse, censemus,) hujus Consilii Jurisdictio ordinaria & propria erit.

### CAPUT III.

#### DE

## JUDICIO CAMERALI ET TAM HUIUS QVAM AULICI CON- CURRENTIA.

**E**st hoc Judicium Aulico Consilio nihil inferius, communi Statuum Imperij consensu & auctoritate ob multitudinem crescentibus litibus ad Judicium Cæsareum appellatum juxta Becleri Not. Imp. L. 13. c. 2. à Maximiliano I. institutum, eique sedes assignata Francofurtum ad Moenum, quam tamen, cum vix per annum ibi constitisset, cum Wormatia commutavit: inde Norimbergam translatum 1501. hinc Ratisbonam 1504. postea Spiram 1527. Ultimo An. 1593. ubi adhucdum floret, Wetzlariam. Membra ejusdem sunt Judex, qui ab Imperatore denominari, atque ex Principum, Comitum vel Baronum stirpe ortus esse debet: Præfides, numero quatuor, non minus illustri loco nati; quorum duo Aug. Conf. itidem à Cæsarea Majestate constituendi per Instrum. Pac. art. 5. §. præterea cum ob enatas; absentis judicis vices gerunt: Denique Assessores de quibus hunc in modum

tra-

tradit *Instrum. Pac. l. c.* Placuit numerum Assessorum Cameralium ad quinquaginta in universum adaugeri, ita ut Catholici computatis duobus Assessorebus Imperatoris præsentationi reservatis, viginti Aug. Conf. Status 24. Assessores præsentare possint, & teneantur, atque ex singulis circulis mixtae religionis non tantum 2. Catholicos, sed etiam binos Aug. Conf. addictos assumere. An vero hic articulus saltem quoad Assessorum numerum, qui hodie ne tertiam quidem partem definitæ quantitatis æquat, observetur, vid. *Limn. Tom. 4. L. 9. c. 2.* Extendit se vero inclyti hujus Judicij jurisdictione in omnes personas, in Imperio specialiter non exemptas, (inter quas exemptas referuntur Dukes Burgundie; Archi-Duces Austriae. Dukes Lotharingie; excepto casu fractæ pacis & collectarum. vid. *Lotharingischer Vertrag de Anno 1542.* *Limnaeus L. 9. Cap. 2. L. 5. C. II.* Helvetiorum Cantones per *Instrum. Pac. Art. VI.*) Et causas non exceptas, (pro quibus habentur causæ spirituales, de oblationibus v. g. Decimis. Criminales, momentaneæ possessiones aliaque; de quibus vid. *Schwyder. Part. Spec. Sect. I. Cap. 13. tb. 11.*) Secundum leges ipsi in specie scriptas, postea Judicio Aulico communes: De his jam antea dictum: prioris vero generis sunt ordinationes, diversis temporibus & auctoribus promulgatae: quarum I. sub Maximiliano I. lucem aspergit: II<sup>da</sup>. à Carolo V. 1548. in formam redacta, à Ferdinandio I. aucta, & An. 1555. Augustæ promulgata: III<sup>ta</sup>. Rudolphi II. in praxi non recepta, vulgo Concept der Cammer-Gerichts-

Ord.

Ordnung. Nec datur parti, per sententiam in  
hoc judicio latam gravatae, appellatio vel suppli-  
catio, per *O. C. p. 3. tit. 51.* Wir ordnen / setzen/  
und wollen auch / daß von den Urtheilen am  
Kaysertl. Cammer-Gericht ergangen und aufge-  
sprochen/ kein Theil weiter zu appelliren oder zu  
suppliciren Macht haben soll. Sed harum in lo-  
cum successisse videntur restitutio in integrum,  
revisio & Syndicatus, secundum l. c. verba: Ob  
aber einige Parthen sich durch die Urtheil des  
Kaysertl. Cammer-Gerichts beschwert zu seyn ver-  
meinte/ der soll gegen Cammer-Richtern und Bey-  
fizern den Weg der gemeinen Recht und hernach  
gesetzter Ordnung von der Revision und Syndicat  
fürzunehmen/ zugelassen und vorbehalten seyn. Et  
quidem peti debet restitutio ab eodem Judice  
*Camera scil. vid. Ord. Jud. Cameral. p. 3. art. 52.*  
quod tamen aliter se habet in revisione, effectu  
per recessum Imp. 1654. non amplius suspensivo  
sed devolutivo duntaxat gaudente, ad quam im-  
petrandam requiritur, ut quemadmodum lis per  
appellationem ad Cameram devoluta versari de-  
bet circa 400. Imperiales, in quibus pars grava-  
ta, ita hic summa litis 2000. Imperiales in forte  
absque usuris conficiat, prætereaque sub poena  
desertionis intra quatuor mensium intervallum  
schedula ex Cancellaria Moguntina in revisionis  
testimonium data Cameræ insinuetur, quod eo-  
dem modo obtinet in Syndicatu. vid. *Schroeder.*  
*Intr. in jus publ. Part. Spec. Cap. XIII.* Non vero  
silentio prætereunda erit de concurrentia horum  
prædictorum judiciorum admodum controversia

materia, ubi imprimis quæstio occurrit frequenter à DD. mota; an cumulative an vero privative in Cameram Cæsar transtulerit jurisdictionem? Nos neque privative neque cumulative eandem ab Imperatore collatam censemus, secuti auctorem des gründlichen Unterrichts / hunc in modum differentem: daß solche Jurisdiction weder privativè noch cumulativè dem Käyserl. Cammer-Gericht gegeben worden / sondern sie ist und bleibt der Käyserl. Majestät einen Weg wie den andern eigen und bevor/ und steht dieselbige nicht sub Cameræ Imperialis, sondern sub Cæsaris nomine & auctoritate nec non sigillo administraret. Cum igitur Cameræ Jurisdiction principaliter ad Imperatorem pertineat, sequitur quod aulicum cum Camerali Judicio in omnibus concurrat, adeoque præventioni, si unicum casum Cameræ proprium per *Ord. Cam. Part. I. L. 49. §. 1.* expressum excipias, locus sit, & propterea cause ob hanc litis pendentiam avocari nequeant, per *Instrum. Pac. art. 5. §. ult.* verba: *aut quovis alio modo turbantur.* Inducitur vero haec litis pendentia à parte actoris à die primi dati decreti ad supplicam, respectu rei vero percitationem adjuncto libello ei legitime insinuatam. Non verò eodem modo concurrit cum Judicio Aulico Camera Imperialis ob varia negotia illi specialiter reservata, qualia sunt cognitio de Feudis Regalibus, de controversiis vestigialium inter Electores & alias Imperij Status, concessio moratoriorum & alia &c. Plura desiderantem ad DD. qui de his materiis,

nec

nec non de Processu in his Judiciis, ex professo  
egerunt, remitto.

C A P U T I V .

D E

JUDICIO ROTHWILENSI.

D E particularibus acturo Imperij Judiciis pri-  
mo loco occurrit Dicasterium Rothwilense,  
das Kaiserl. Hoff-Gericht zu Rothweil / à Con-  
rado III. ob præstita ei in acribus cum Lothario  
Saxone de Imperij gubernaculo dissidiis, auxilia,  
An. 1146. institutum, & subsequentium Imperato-  
rum Caroli IV. Sigismundi, Alberti II. Friderici  
III. Maximiliani I. Caroli V. Matthiaæ, Ferdinandi  
II. & III. privilegiis munitum. Dependet à solo  
Imperatore, qui propterea etiam jus visitandi ac  
reformandi habet, licet prius aliquando per or-  
dinarios Camerae Visitatores peculiari Cæsaris  
mandato ad Statuum preces fuerit exercitum  
per R. I. zu Regenspurg 1532. Haben uns Chur-  
fürsten / Fürsten und Stände unferthänigst gebet-  
ten / etlich verständig tügliche Personen zu verord-  
nen / & deinceps, welchen Visiatoren wir hiemit  
genugsamem Gewalt geben. Ipsam dignitatem  
prætoriam, das Hoffrichter-Amt/ feudi titulo ac-  
ceperunt Principes Schwarzenbergici, quam an-  
tea tenebant die Graffen von Sulz. Assessores  
vero partim ex Senatu Rothwilano partim ex or-  
dine Equestri constituuntur. Ordinationes se-  
cundum quas jus redditur due sunt : Una die  
Rothweilisch alte Hoff-Gerichts-Ordnung Anno

B 2

1523.

1523. & 1535. Rothwilæ typis expressa; & altera recentior, quæ vulgo Maximil. II. adscribitur, Francfurti An. 1610. in lucem prodata; in quam commentarium edidit Matthias Wehnerus tantæ in Imperio autoritatis ut & Imperator Ferdinandus II. deputatis ad hoc judicium injungere haud dubitaret, ne ab hisce Wehneri animadversionibus recederent. Differt vero in hoc à duobus supra laudatis judiciis Dicasterium Rothwilense, quod ejus Jurisdictio non ut illorum ad universum Imperium se extendat, sed certo districtu, circulis nempe Austriaco, Suevico, Rhenano & Franconico sit circumscripta, ita ut non deficiant, qui per singulare privilegium, præscriptionem transactiōnem vel ordinationem ab ea sint exempti, quales sunt Electores eorumque subditi, per Aur. Bull. Conf. tit. 11. Aliive Principes. Ubi vero notandum non in omnibus causis locum habere exemptionum ista privilegia, sed excipiuntur causi qui vulgo vocantur reservatorij, Germ. Ehehafsten; contra quos nihilominus tamen, excepta causa denegatae justitiae, privilegia impetrarunt Electores, Domus Austriaca ac Episcopus Argentinensis, ut & Duces Würtenbergici. Et hæc Dicasterij Rothwilensis jurisdictio ordinaria & propria ac in suo districtu magis fundata est, quam Cameræ per universum Imperium: Concurrit namque cum Statibus & Magistratibus ordinariis, vid. Memoriale Comitis de Sulz & Rothwilenium Anno 1654, daß dasselbige (Rothweilische Gericht) ordinariam & concurrentem Jurisdictionem mit und gegen allen Ständen und Obrigkeiteten/ so in diesem Be-

girck gesessen / in allen und jeden Sachen ohne Eintrag und Hinderung manninglichen habe. Cæterum datur ab hoc Judicio ad Cameram Imperialem appellatio: per Rec. Imp. zu Speyer 1570. S. Und nachdem &c. Verb. Daher auch viel Appellationes an unser Kayserl. Cammer-Gericht erwachsen. Agebatur quidem in Conventu Osnabrugensi de hujus dicasterij abrogatione, Art. 5. S. 20. Instrum. Pac. Verum rejecta res fuit ad proxima Comitia, & ha-  
stenus Jurisdic<sup>tio</sup> inturbata mansit.

## C A P U T V.

D E

RELIQVIS IMPERII S. R. GER-  
MANICI SUMMIS TRIBU-  
NALIBUS.

Judicium provinciale Sueicum, das Kayserl. Land-Gericht in Schwaben / exercent Archi-Duces Austriae, utpote feudi & pignoris Jure possidentes, in tribus civitatibus Imperialibus Ravensburg / Wangen / Isny / & pago Alt-dorff genannt Weingarten. Extendit se Juridictio ejus über die Donau bis an das Land Würtenberg / dem Lech nach hinauff gen Reit an die Brücken / darnach hinüber auff Dachheim / an die Grauenpfunde zu Anfang des Schweizerlandes / folgendes gen Costanz auch herüber auff Stockach / und von dannen so weit sich der Bezirk des Schwabenlandes erstrecket / vid. Freye Kayserl. Land-Gerichts-Ordnung in Ober- und Nieder-Schwaben / p. I. tit. I. Extendit autem se in omnes

B 3

præ-

prædicto districtui subjectos, qui speciale exemptionis privilegium allegare nequeunt. Occurrit vero hic quæstio multarum hacenus disceptationum causæ; an nempe ad Cameram Imperialem ab hoc Judicio, an vero ad Tribunal Archiducale zu Simprugg fieri debeat appellatio? Et fundant se quidem Austriae Archiduces in confirmatione privilegiorum Austriacorum à Carolo V. facta, verbis: daß was vor des Fürsten der Österreichischen Landen verordneten/ und gesetzten/ oder andern ihren Gerichten / die sie Eigenthums- Lehens-oder Pfands-weise vom Reich oder sonst innen haben/ an des Reichs Cammer-Gericht nicht appellirt werden möge. Verum omnibus semper viribus oppugnare conata est hoc privilegium Camera Imperialis, & tandem palmam reportavit. vid. *Capit. Leopold. Art. 18. Josephi Art. 17. & Caroli VI. Art. 18.* Cæterum quod ante dictum est de Dicasterio Rothwilensi id ipsum quoque de hoc Judicio referri potest: Ast quamquam frequentes fuerunt de Abrogatione ejus deliberationes initæ, res tamen in nudis conatus substituit, cum acriter nunquam non Archiduces Austriae se huic abolitioni opposuerint. vid. *Scriptum 1658. impressum, cui titulus: Kurze doch gründliche Information auf was wichtigen und standhaftesten Ursachen das Käyserl. Land-Gericht in Schwaben nicht abolirt/ noch dem Hoch-Löbl. Erzhauss Desterreich wider seine uhralte erlangte und durch beständige Übung hergebrachte tressentliche Freyheiten der rechtlichen Außträge halber nichts neues noch beschwerliches zugemuthet werden kan noch soll.* Ju-

Judicium provinciale Hagenox, das Käyserl.  
Land-Gericht auf der Lauben zu Hagenau / (de  
quo vid. Gylmann. in Symploremat. Tom. 3. fol. 275.  
Et Schilter. in Comment. ad J. Feud. Alem. c. 18. §. 5.  
Bernhard Herzog Chron. Alsat. lib. 9. c. 4.) quod ex  
privilegio de An. 1496. pretendit beneficium de  
non appellando. Hodie postquam in Regis Chri-  
stianissimi potestatem hæc urbs est redacta judicij  
usus cessat.

Judicium Herbipolense , in Franconia, das  
Käyserl. Land-Gericht in Franken/ in hoc à reli-  
quis recedens, quod ab hoc appellatio in prima  
instantia ad Episcopum Herbipolensem postea de-  
mum ad Cameram devolvatur.

Judicium Provinciale Burggraviatus Norim-  
bergici in Aluspach ; das Käyserl. Land-Gericht  
des Nurenbergischen Burggraffthums zu Dnolz-  
bach quod Marchionibus Brandenburgicis ab Im-  
peratore in feudum datum. conf. Schilter. ad J.  
Feud. Alem. c. 18. §. 6.

Fuere quoque olim Judicia Westphalica das  
Heimliche Gericht in Westphalen/ cuius originem  
quidam Carolo M. alij Friderico III. nonnulli  
Conrado Salico incerta fide, adscribunt. Certum  
hoc : sub p̄ttextu Justitiæ Judices , quos Lam-  
padius Barisellos appellatos esse dicit quidem, sed  
non probat, potestate sua nimium quantum esse  
abusos ; & propterea à Maximiliano I. hoc judi-  
cium plane abolitum esse, adeo, ut nec in ipsa  
Westphalia certa hujus vestigia ostendi possint.  
vid. Freberus de Secret. Judic. in Westphal. Gryphi-  
ander de Weichbild. Sax. c. 59. Conring. de Jud. Rei-  
publ.

publ. Germ. c. 4. & de Or. Jur. Germ. c. 19. Winkelmann. in Notit. Ver. Westph. c. ult. Calwer. in Hist. Sacr. Saxe. Infer. P. II. p. 157.

## CAPUT VI.

DE  
AUSTREGIS.

Progrediendum justo ordine est ad Austregarum judicia, à Germ. Außtråg/sic dicta, quia in iis die Sachen sollen aufgetragen werd. Königsb. in Chron. Alsat. c. I. §. 28. de Phoroneo Argivorum Rege: der ufsatte zum ersten die geribien do men die Sachen solte usdrägen. Incepisse hæc plerisque persuasum est diuturni illius interregni tempore, principibus ob turbulentum Imperij Statum hosce spontaneos sibi judices eligentibus, ne deessent sublatiis judiciis publicis, qui ex aequo & bono Jus dice- rent, & hinc haud leviter errare patet, qui Austregarum primordia Maximiliano I. adscribunt. Quanquam eundem Imperio potitum hocce institutum approbasse & majori auctoritate per Legem publicam donasse negari nequeat. vid. Ord. Cam. Wormat. 1495. Tit. Wie Churfürsten/ Fürsten &c. conf. Textor. ad Reces. Imp. de Anno 1654. diff. 3. §. 7. Competunt Laicis tam Regentibus quam Appanagiatis & Ecclesiasticis chara- ctere certo Electoris, Principis &c. condecoratis, electis & postulatis etiam ante impetratam in- stitutam. Excipiuntur Rex Bohemiæ, Archidu- ces Austriae, Dukes Burgundia, Lotharingiae & Ci- vita-

vitates Imperiales, quæ licet Imperio immediate  
 sint subiectæ, in comitiis item sessione & voto de-  
 cisivo gaudeant, nihilominus ab hujus Juris usu  
 regulariter excluduntur; quibus enim hoc bene-  
 ficium competit, quales sunt Nürnberg/ Regen-  
 sburg/ Ulm/ Memmingen aliaeque, id ipsum non  
 per ordinationem Maximiliani, sed aut Cæsaris  
 privilegio aut diurna præscriptione possident.  
 Distinguuntur vero Personæ privilegij hujus par-  
 ticipes in primi vel secundi ordinis. Primo an-  
 numerantur Electores & Principes, & Principali  
 dignitate illustres; in secundo sunt Comites, Ba-  
 rones & Nobiles immediati, & Prælati simplices,  
 vacante vero sede Capitulum, quod licet Status  
 Imperij non sit, cum tamen Statum Imperij re-  
 præsentet, eodem etiam Jure fruitur. Et patet  
 hujus distinctionis utilitas exinde, quod primi  
 personæ ordinis contra quoscunque actores hoc  
 prima instantia privilegio utantur; secus ac or-  
 dinis secundi persona, quibus, nisi a superioribus  
 vel æqualibus in jus vocentur, nulla habita Au-  
 stregarum beneficij ratione coram Camera vel ju-  
 dicio Aulico ut respondeant incumbit. De pro-  
 cessu in hoc Judicio servando & variis ejusdem  
 modis vid. Ord. Cameral. p. 2. Causæ, de quibus  
 Austregæ judicant, sunt regulariter omnes, quæ  
 per appellationem ad Cameram devolvi possunt:  
 Excipiuntur itaque Feudales O. Cam. p. 2. tit. 7.  
 Causæ l. diffamari C. de Ingenuis manumissis O. C. p.  
 2. tit. 25. Causæ Pignorationum, O. C. p. 2. tit. 22.  
 Causæ denegatae Justitiae, O. C. p. 2. tit. 26. Causæ  
 litigiosæ Possessionis O. C. p. 2. tit. 21. Causæ quæ  
 spe.

spectant ad Constitutionem Pacis Profanæ. *O. C.*  
*p. 2. tit. 9.* Causæ relaxationis juramenti ad ef-  
fectum agendi. *O. C. p. 2. tit. 24.* Causæ quæ fundan-  
tur super constitutione Pacis Religiosæ. *O. C.*  
*p. 2. tit. 9.* aliæque, quas brevitatis studio omitten-  
das esse duco. An vero Criminales hoc perti-  
neant, dubitatur: & optima videtur sententia  
earundem decisionem Imperatori juncto Princi-  
pum consilio deferentium. *Per Const. Frid. II.*  
Wo es aber an ihr Leib / Chr ic gehet / das wol-  
len wir selber richten auff die Weiß wie es in dem  
Heil. Reich von alten Zeiten herkommen. De  
Matrimonialibus Causis substantiam matrimonij  
tangentibus ita tenendum, eas non ad Austregas  
sed Catholicorum ad Papam, Protestantum ve-  
ro ad solum Cæsarem exclusa Camera pertinere.  
Quæritur vero an mandata an vero ordinaria sit  
horum Judiciorum jurisdictio? Nos distinguen-  
dum esse censemus inter jurisdictionem eorum in  
abstracto & concreto consideratam; priori mo-  
do, legibus utpote Imperij delatam, ordinariam;  
posteriori vero, cum ex partium solummodo ar-  
bitrio, atque electione dependeat, delegatam haud  
inepte audire censemus. Ultimo loco notandum  
neque Aulicum neque Camerale judicia cum Au-  
stregis concurrere, sed ad eas observandas obli-  
gari per *Instr. Pac. Art. 5. §. Visitatio. Versu:*  
*Catera.*

## CAP. VII.

¶ ( 19 ) ¶

C.  
ef-  
an-  
C.  
en-  
ti-  
tia  
ci-  
II.  
ol-  
em  
De  
nij  
as  
ve-  
re.  
sit  
in  
o-  
;  
ar-  
id  
m  
u-  
i-  
I.

CAPUT VII.

DE

STATUUM SS. IMPERII  
TRIBUNALIBUS.

S Tatus tanquam coimperantes spectatos maje-  
state, quæ alias ex stylo Rom. Cur. Lands-  
Fürstl. Gräffl. Hohe Obrigkeit/rationePrincipum,  
Comitum & Baronum , & die Lands= Ober= und  
Herrlichkeit/ intuitu liberarum civitatum , in suis  
territoriis gaudere analoga , dudum inter Juris  
publici DD. convenit, docentque id præclara eo-  
rundem jura, in quibus haud minimum est insigne  
illud circa Justitiam regale , quippe quod ipsis  
tribuit potestatem leges I. ferendi, ad quas ob-  
servandas non subditi modo sed & Camera Impe-  
rialis in causarum inter provinciales controver-  
sarum per legitimam appellationem ad se devo-  
lutarum decisione obligantur. II. Secundum la-  
tas leges judicandi & III. Dicasteria atque judi-  
cia constituendi, quæ vulgo distinguuntur in Hø-  
he und Nieder Gericht: Illa sunt ad quæ, hæc à  
quibus, datur provocatio ; & pro Statu Perso-  
narum constituentium admodum variant ; sic  
Electorum Principum Judicia summa plerum-  
que audiunt Hoff- und Revisions-Gericht/ Appel-  
lations-Gerichte: Comitum vero plerumque die  
Cantellehen / quæ Appellationes à Scultetis &  
Præfettis aliisque inferioribus recipiunt. In Im-  
perialibus Civitatibus judicia sunt, vel totus Sena-  
tus, vel der geheime Rath / ad quæ causæ in infe-

C 2

riori-

rioribus Judiciis ventilatæ in secunda instantia pertinent. Et hæc quidem Jurisdic<sup>tio</sup> unicuique statui sarta & in columnis servari debet, adeo, ut nemini concurrentia concedenda. Quid vero de Imperatore? Hic non deficiunt, qui ex Veteri Jure hodierna Statuum jura metiuntur, concurrentiam cumulativam mordicus defendantes; ast ex antiquo Romanorum jure ad hodiernam Reipubl. conditionem, & à Monarchico Statu ad non Monarchicum, pessimè infertur. Quanquam enim superioritatem Imperatori ambabus concedamus, eadem tamen in hoc non consistit, ut in omnibus cum inferiore concurrat, sufficit enim eundem superiorem agnoscí, quod fieri patet in casu protractæ, aut denegatae iustitiae, nullitatis aliquisque casibus, ubi nunquam non ad eum recurri videmus. Alij ad alterum extremum prolapsi omnem in Statuum territoriis Imperatoris denegant potestatem, fundantes se in principalioribus superioritatis transferendæ modis, concessione scil. imperantis, & præscriptione. Verum quia Imperatoribus animum fuisse tota se Jurisdictione abdicandi probari nequit, idcirco nec huic sententiae adstipulari poterimus, sed medianam amplexi viam subordinate Statibus concessam esse superioritatem censemus. Inferas tamen cave, præsente in territoriis Statuum Imperatore quiescere eorum jurisdictionem, secundum *Jus Saxonicum L. III. art. 16.* In welcher Stadt der König kommt / da sind ihm alle Gerichte geöffnet / und muß der Unter-Dichter zu richten einhalten. Quo nihil falsius dici potest; & licet Impera-

peratori civitatem Imperialem intranti hodie-  
num offerri soleant claves, id tamen magis reve-  
rentiae & Civilitatis quam necessitatis esse, intelli-  
gendum est. Unde & Jurisdictionem à Magistra-  
tu loci in quo Imperator Comitorum tempore  
cum Proceribus moratur nihilominus exerceri  
quotidiana docemur experientia. Et haec  
pro ratione instituti protulisse  
sufficiat.

## COROLLARIA. *EX* JURE CIVILI.

### I.

 Itis contestatio semper fit nega-  
tive.

### II.

Quod successor singularis ante fini-  
tum tempus expellere possit conductorem  
Legibus Romanis probariclare nequit.

### III.

Usuræ separatum singulis annis solu-  
tæ ultra alterum tantum quoque currunt.

C 3

III

( 22 )

*EX*

## IURE PUBLICO.

I.

**D**atis literis moratoriis, Germ. *Quin quennel / Eiserner Brieße /* quod solius Imperatoris est, cessant ab eo tempore, quo debitor illas impetravit, usuræ.

II.

Elector quorundam Collegarum votis gaudens suo scipsum voto adjuvare potest.

III.

Jus primiarum precum Vicarios exercere posse non videtur.

*EX*

## IURE CANONICO.

I.

**N**on placet ratio Juris Canonici nuptias prohibentis ad quartum gradum inclusive, quia quatuor sunt humores in corpore, qui constant ex quatuor elementis. *C.VIII. X. de Consangu.*

*EX*

¶ ( 23 ) ¶

I I.

Nec probanda videtur comparatio illa C. VI. X. de Major. & Obed. qua Pontifex Soli, Imperator Lunæ comparatur.

I I I.

Damnantur quidem Jure Canonico Usuræ, utpote cum furto aut rapina conjunctæ; admittuntur tamen nihilominus annui redditus parum ab illis differentes.

E X.

JURE FEUDALI.

I.

VAsallus cum vidua Domini elapsus luctus tempore concubens Feloni- am non committit.

II.

In Feudo Franco fœminæ succedunt.

I I I.

Matrimonium ad Morganaticam contractum est licitum.

D E O S O L I G L O R I A .

Palladis cum Tis fueris Fidelis  
Dudum amans, sacris studiisque adhaerens,  
Et parens natura Tibi benigna

maxima dona

Arrogarit, non dubitabit ullus

Specimen doctum fore & omni dignum

Laude, quod, Suavissime! disputando

edere getis.

Hinc amicorum numerus Tibi dat

Vota, dat plausus bilares, Tibi optans,

Sic, ut hoc, Dux Omnipotens Olympi  
cuncta secundet.

Hac contubernali suo Charissimo amico doctissimo  
sincero animo accinere voluit

G. V. H. S.S. Th. St.

D Is cursus docti nunc monstrant sedulitate  
Jam dudum magna Te ingenuis studiis  
Incubuisse: Deus porro Tua copta secundet!  
Tunc meritos fructus affore non dubito

Frater Tuus

Joh. Jacobus Beck, Ravensp.



1018

ULB Halle  
007 430 779

3





B.I.G.

Farbkarte #13



O. D. B. V.

1720.5

DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>O</sup> JURIDICA  
DE  
**SUMMIS AC SUB-  
ALTERNIS IMPERII  
ROMANO - GERMANICI  
JUDICIIS ET EORUM CON-  
CURRENTIA,**

QVAM

DIVINA FAVENTE GRATIA,

Sub PRÆSIDIO

VIRI Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi  
atque Excellentissimi,

**DN. JOHANNIS GEORGII  
SCHERZII,**

J. U. D. & Professoris Publici Celeberrimi,  
Cap. Thom. Canonici Meritissimi, h. t. Fac. Jurid.

DECANI Spectabilis,

*DN. Patroni, Fautoris atque Praeceptoris sui Summi*  
d. Mens. Octobr. hor. Iq. conf.  
*SOLENNITER defendet*

**LEONHARDUS BECK, Ravenspurg:**  
AUCT. & RESPOND.

---

ARGENTINÆ,  
LITERIS JOHANNIS PASTORII.  
ANNO M DCC XX.